



ni in disputationibus, rationem nostram metuamus. Tantum enim abest, ut, quantum sit periculi, ne ratio forte in Dei causa adhibeatur, ex ea, quam modo habuimus cum inimicis, disputatione, cognouerimus, ut docti potius inde nunc magis fuerimus, iuuare illam, qui bene didicit et recte sua uti ratione, rem diuinam.

§. XIII.

Alterum, quod tamquam confectarium per nostra disceptata confirmatur, in eo ponitur, ut ea non solum ab hisce disputatis lucem suam maiorem queant repetere, quae antea de via atque ratione in hacce causa Socinianos conuincendi diximus; (§. II. III.) sed simul quoque liqueat, in genere, si quaedam vobis cum Socinianis contentio est, nos tantis non anfractibus semper opus habere, quantis et qualibus interdum, vidimus, Theologos, pia mente tamen instructos, contra huius generis hostes processisse. Si enim quid in me iudicii est, ego quidem, perpauca arbitror, principia esse, ad quae, tamquam ad sua principalia, Socinianismus omnis reducitur. Quorum illud: *Homo non Deus esse potest*, et in quod haecenus animaduerti, omnium palmarium dici debet. Primis itaque radicibus sublatis, quae nata sunt ex illis, nominare, si refutare animus est, illa deinceps tantum debemus.

SECTIO